

Universitätsbibliothek Wuppertal

Scholia graeca in Aristophanem

Dübner, Friedrich

Parisiis, 1842

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-5255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-5255)

PRÆFATIO.

Quod mirum videri potest, si qui erunt ad hanc paginam delati, *nominum et rerum indicem* præfatione instrui, non videbitur his perlectis. In illis sane poetis et scriptoribus, qui hoc ubique dicunt quod verba sonant, plana via inceditur; apud Aristophanem per lusum, per ironiam, per miram diversitatem loquentium, per omnia denique quæ veteris comædiæ exsultatio ex ingenioso poeta elicit, res eam sæpe speciem induunt, ut, si in seria jejunitate *indicis* ita referantur, longissime abfuturæ sint a vera sententia poetæ. Hanc in *indice*, abstersis facetiis, comico choragio exutam, proponi conveniebat: sed quum collecta ὅλη ex comædiis et scholiis jam per se in magnum acervum excrevisset, ne mea qualicumque expositione nudæ sententiæ in majus etiam augetur, ea quæ præcipua esse existimabam, verbis quidem ad Aristophanea quam proxime accedentibus referre tentavi, verum oratione ita composita, ut ficta a veris facile dinoscas et mentem Comici haud ægre dispicias. Attendendum est autem in ea re, nec usquam negligendum, ex qua quidque fabula afferatur.

Ceterum novo instituto et ad Aristophanem inprimis, opinamur, accommodato poetæ dicta et scholiastarum interpretationem et disputationes in unum conjunximus, per typorum formam utraque distinguentes: qui modus quum in universum multam commoditatem af-

PRÆFATIO.

ferre videbatur, tum si quibus totam molem scholiorum, quorum prope dimidia pars ab indoctis magistris composita est, perlegendi otium non est aut animus, utilia omnia his paginis breviter relata invenient. Nam hoc studiose consecutus sum ne quidquam omitterem quod usu aliquo esse possit. Sciendum est autem

ROMANO et vulgari caractere scripta esse POETÆ,

Italico, esse SCHOLIASTARUM,

parentheseos signis circumdata a NOBIS

addita esse quando necessarium videbatur. Si quis repetita quædam alicubi esse et brevius commodiusque disponi potuisse animadvertet, scito nos id spectasse ut quid et quantum de quaque re in quoque loco poetæ aut scholiorum legatur appareat : quæ notatio contractis nonnullis periisset.

Absoluto indici nostro Kusterianum contulimus, et quæ in eo vidimus nobis non relata, uncis inclusa cum nomine ipsius adjecimus, quamquam ab nostro consilio aliena.

F. D.